

tra provinciam, civitatem, Principem; hoc modo augeri pœnam Reipublicæ interest, ut trahæ impositus reus atq; forcipibus candentibus primùm adustus eo, ut diximus, modo supplicio afficiatur, *Zieritz. hïc.* Nonnunquam etiam, si mitiùs plecti debeat, capite priùs amputato, nihilominus postea truncus quatuor in partes discindetur, quod cordatorum Judicum arbitrio, & JCtorum sententiæ committitur, *Steph. hïc.* Fortè notata *in fin. art. 42.* huc commodiùs referre potuissem. Adde de prodicione, *Cam. 2. histor. 61. Adam. Cont. lib. 10. polit. 52.*

## ARTICULUS CXXV.

*Pœna incendiariorum.*

Incendiarii legitimè convicti, qui dolo malo hoc fecerint, vivi comburuntur. Circa pœnam horum incendiariorum distinguitur Jure Civili, an incendium in civitatibus, aut castris & villis commissum, an parvum aut magnum, an incendiarius nobilis, vel in dignitate constitutus sit, sive vilis persona? latius id ipsum tradente *Matth. Steph. hïc.* Sed hæ distinctiones, jure Carolino inspecto, nullius ponderis sunt, nec attenduntur. Non tantùm hoc in loco de conductitiis illis, qui vulgò dicuntur *Wordbrenner* (vide *Frid. Hortled. quem egregio encomio ornat laude dignissimus Dn. Domin. Arum. in tract. de comitiis, c. 3. num. 13. von den Ursachen des Teutschen Kriegs / lib. 4. c. 13. p. 354. cum seqq. & cap. 26. cum seqq.*) agitur, sed etiam de omnibus incendiariis, qui dolo, & ex proposito, consultò, datâ operâ, & malitiosè scientes prudentesq; immittunt, sive inimicitia, sive prædæ causâ hoc faciant. Conductitii autem illi pejores utiq; sunt, & graviùs cæteris plectendi, *Zieritz. hïc, verb. incendiarii.* Quid autem dicendum de iis, qui linteas stupas cum igne, pice, sulphure, aut pulvere bombardico, aut carbones, aut titiones alicubi deponunt, etiamsi nihil damni inde datum sit? ut factum memini Rostochii Anno 1607. Vide *Zieritz. hïc, verb. Dolo malo hoc fecerint, Steph. hïc, Berlich. concl. 21. num. 17. 18. part. 4. Conferendus quoq; Gobler. hïc, in auctar. Incendium, quod culpâ, vel negligentia, vel casu fortuito exortum, quomodo puniatur? Vide Berlich. par. 4. concl. 25. per tot. Thom. Metzg. conf. 67m. 11. per tot.*

## ARTICULUS CXXVI.

*Pœna grassatorum.*

Veterum Germanorum in delicto hoc coërcendo rigorem animadvertere est apud *Krantz. in Saxoniâ, lib. 10. c. 30.* Hinc inquit *Dan. Moller. 3. semestr. 27. n. 3.* Illi, qui in itineribus publicis vestem, vel pecuniam, quantumvis exiguam, aut aliud quippiam per vim viatori eripiunt, capitali supplicio affecti rotis deinde apud nos in terrorem aliorum imponuntur. Hoc articulo pœnâ gladii afficiuntur & rei ablatae à grassatore quantitas & valor non venit in considerationem & pro unicâ grassatione, in qua non inter venerint vulnera, sive occi-

sio,